C

LOCVS.

Melanthion domeſticum non niſi in hortis ſatum prouenit. Sylueſtre autem, ut dictum eſt, in agris ſua ſponte prouenit.

TEMPVS.

Melanthion floret Iunio menſe, Iulio autem & Auguſto ſemine prægnans eſt.

TEMPERAMENTVM.

Melanthium excalefacit atque deſiccat tertio ordine.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Capitis doloribus illitum fronti Melanthiũ, & incipientibus ſuffuſionibus cum irino tritum & naribus infuſum prodeſt. Tollit lentigines, lepras, œdemata uetuſta, duritiesq; cum aceto illitum. Circunſcarificatos clauos excutit cum uetere uino impoſitum. Dentium doloribus cum aceto & teda decoctum, ſi eo colluantur, ſuccurrit. Rotundos uentris lumbricos expellit, ex aqua umbilico illitum. Tritum autem & in linteo colligatum & olfactum, deſtillatione laborantes adiuuat. Pluribus diebus potum, urinam, menſes & lac prouocat. Difficultatem ſpirandi cum uino potum finit. Phalangiorum morſibus drachmæ pondere cum aqua hauſtum auxiliatur. Suffitu ſerpentes fugantur. Tradunt largius epotum enecare.

EX GALENO.

Tenuium eſt partium Melanthium, unde deſtillationes ſanat calidum in linteo admotum, atque aſsiduò olfactum. Quinetiam ſi intrò in corpus ſumatur, uel maximè flatus extinguit. Hinc conſtat eſſentiæ ipſum eſſe tenuis, & ad unguem à caliditate elaboratæ. Propterea ſanè etiam amarum eſt. Itaque mirum non eſt ſi lumbricos interimat non eſum modo, ſed etiam foris impoſitum. Neque ſanè etiam mirandum ſi lepras, clauos, myrmecias eiiciat. Sic uerò etiam orthopnœam iuuat, &
D menſes prouocat, qui ob craſsitiem aut uiſcedinem retenti fuerint. In ſumma, ubi inciſione, exterſione, deſiccatione, excalefactione eſt opus, præſtantiſsimum id remedium eſt.

EX PLINIO.

Melanthion medetur ſerpentium plagis & ſcorpionum. Illini ex aceto & melle reperio, incenſoq; ſerpentes fugari. Bibitur drachma contra araneos. Deſtillationem narium diſcutit tuſum in linteolo olfactum. Capitis dolores illitum ex aceto, & infuſum naribus mitigat. Cum irino oculorũ epiphoras & tumores lenit. Dentium dolores coctum cum aceto. Vlcera oris tritum & cõmanducatum. Lepras & lentigines ex aceto tritum emendat. Difficultates ſpirandi addito uino potum. Duritias tumoresq; ueteres & ſuppurationes illitum. Lac mulierum auget continuis diebus ſumptum. Colligitur ſuccus ut Hyoſcyami. Oculos purgat, urinam & menſtrua ciet. Similiter largius uenenum eſt, quod miremur, cum ſemen gratiſsimè panes etiam condiat. Quinimo linteolo alligatis tantum granis triginta, ſecundas trahi reperio. Aiunt & clauis in pedibus mederi tritum in urina. Culices ſuffitu necare: item muſcas.

EX SYMEONE SETHI.

Eſt tenuium partium, lumbricos in uentre necat, flatus diſcutit, pituitamq; incîdit. Ad orthopnœas & defluxus capitis facit odoratum, præſertim poſtquam calefactum fuerit. Dicitur uerò quod ſi teratur, & cum aceto uentri imponatur, etiam ſic lumbricos necare. Et ſi cum melle fermentetur, & calida aqua hauriatur, calculos in renibus & ueſica minuit, urinam cit, menſes ducit, & ueluti remedium contra uenena eſt, ſi quis ipſum ieiunus aſſumat.

DE MALA-

MALVA HORTENSIS.